ORATIO
PRO
CREPITU VENTRIS
habitá
AD PATRES CREPITANTES
AB
EMANUELE MARTINO
ECCLESIÆ
ALONENSIS DECANO.

Juxta Exemplar
REGIO-BRIGÆ
Excusum.
LAUSANNÆ,
Sumptibus FRANC. GRASSET *&* *Socior.*

MDCCLXVII.

ORATIO

PRO

CREPITU VENTRIS

AD

PATRES CREPITANTES.

CUm ſemper Crepitum Ventris ab urbe exſulantem & profugum, atque à conſortio & hominum conſuetudine ejectum expulſumque, ægerrimè tulerim; hoc præcipuè tempore, PATRES CREPITANTES, in quo *ὀσπριοφαγίαν τεσσαρακοστὴν* de more celebramus, & gravius viſum eſt, & Reipublicæ incolumitati pernicioſius. Quid enim tam acerbum, tam deplorandum, ac ne oculis quidem ferreis aſpiciendum, quàm delicias populi, publicæ libertatis conſervatorem, vel, quod dicere vereor: dicam tamen; ſalutis aram, ab urbe, à Republica, ab hominum conventu eliminâſſe,

explosisse, exsibilâsse? Aliis in urbe pestibus grassari impunè licet; optimo civi, atque optimè quidem de singulis merito, patriâ perfrui aurâ non licet. Siquidem eò insaniæ atque vecordiæ hominum devenit audacia, ut nisi vobis, *Patres Crepitantes*, aut cura aliqua Crepitûs conservandi, aut libido fuisset; jam de ejus nomine vel incolumitate actum videretur. Rem sanè omnium difficillimam agnosco, ea quæ communi hominum arbitratu atque sententiâ inveterata sunt, vel funditûs evellere, vel aliò quàm infixa mentibus opinio permittit, detorquere. Sed cùm sæpe vel ignorantià, vel cæco eorum qui suggerunt livore, sententiæ huc illuc facilè distrahantur; ingentem animo fiduciam haud temerè concepi, à me, si receptam vulgò de Crepitu opinionem diluerim ac debellârim, revocatum iri ac restitutum. Quod haud equidem ambigo mihi ex animi sententia eventurum, si ejus ortum, educationem, liberalium disciplinarum peritiam, animi dotes, virtutis splendorem, dignitatem, auctoritatem, reique quà publicæ, quà privatæ utilitatem demonstrâro. Necnon malè feriatorum capitum calumnias, & convitia in eum jacta veritate duce, ac fortuna comite dissipavero. Ac primùm, *Patres Crepitantes*, de ejus antiquitate mihi dicendum judico. Crepitum, quis tam rationis expers, tam plumbeus, esse possit qui non origine, hominis æqualem fateatur? Statim enim ac supremus rerum conditor vitalem illum spiritum inanimi atque iner-

ti moli inſufflavit, virtuſque illa infuſa, naturalia munia exercere occœpit; quis credat, munus illud tantopere neceſſarium, aëra incluſum atque interceptum, naturæque ipſi adeò pernicioſum, foras ejectandi, vel ignoraſſe, vel omiſiſſe? Præſertim verò cùm ipſe humani exordii parens, & ruboris & urbanitatis inſcius, nec illum exſultantem ac erumpere geſtientem, vel compreſſerit, vel jugularit. Sermone antiquiorem fuiſſe, priuſque Crepitum invaluiſſe, quàm verba homines proferrent, vel ex Ariſtophanis Ranis addiſcere poſſumus, quando nihil ſciebant, niſi

Προσπαρδεῖν γ' ἐς τὸ στόμα, καὶ μινθῶσαι τὸν ξύναιτον (a)

Quod ad genus attinet, haud obſcuræ conditionis parentes ſortitus eſt. Mitto eorum nugas, qui à Jove ſtercoreo, ſive (ut cum Orpheo) *εἰλυμένῳ κόπρῳ* (b) originem ducere arbitrantur. Parentes quidem habuiſſe, tum apud omnes auctoritate, tum generis ſplendore ac nobilitate præſtantes; omnibus in confeſſo eſt: quamvis & nonnihil ii qui nobis tradiderunt, vel aberrent, vel diſcrepent. Ariſtophanes quidem in *Pluto* pultis filium facit; nam cùm dixiſſet:

(a) *In os oppedere, & merda ſodalem fœdare.*
(b) *Fimo delibuto.*

Κἀγὼ Ἰὸτ' ἤδη τῆς ἀθάρης πολλὴν ἔφλων. (c)

Subjungit poſtea : —— μέγα πάνυ
Ἀπέπαρδον· ἡ γαστὴρ γὰρ ἐπεφύσητό μου (d)

Si Chamæleonti Pontico poëtæ fides adhibenda, Fabæ filium appellabimus, qui refert Aſinum cùm quendam fabas comedentem aſpexiſſet, adeò illarum deſiderio affectum fuiſſe, ut ad crepitus ejectandos provocaretur. Telemachus etiam Acharnenſis ut illos in numerato haberet, diuturno fabarum alimento confovebat. Rapis Diphilus Siphnius medicus honorem hunc tribuit. Si Zenonem Stoïcorum Principem audire velimus, Lupinorum filium reperiemus, qui ut eam quam de Crepitûs libertate legem promulgaverat, reapſe ſtatueret atque obfirmaret, iiſdem veſci conſueverat. Ego tamen ne tot tantorumque virorum auctoritati adverſari videar; ejus parentes haud temerè appellare audeam allia, cepe, lupinos, fabas, rapa, pultem, aliaque id genus πνευματικά.

Habetis genus *Patres Crepitantes*, nobiliſſimamque tanti herois proſapiam intuemini, ut ſi qua labes nequam fortaſſis hominum perfidiâ atque improbitate in honeſtiſſimam familiam irrepſiſſet, judicii noſtri ſpongiâ penitus

(c) *Ego tum bonam partem pultis abſorbſi.*
(d) —— *Mirum in modum*
Pepedi: nam venter meus intumuerat.

abſtergatur. Nam quod aliqui objiciunt de Crepitu illo polentario, ex eadem familia, qui à Plauto ignominiosè, ut ipſi arbitrantur, in theatrum adductus eſt, quum *Curculio* ſua ageretur; plenum quidem dedecoris & probri videri poſſet; niſi id ipſum olim feciſſent Cypriorum Reges in apparatiſſima illa Alexandri Magni pompa in Phœniciam regreſſi. (teſtante Plutarcho). Et Nero atque Heliogabalus Impp. aliique principes viri. Quid? Nonne Auguſtus aliquando reſpondit, *immunes verberum hiſtriones?* Quin & Hiſtrioniam non fuiſſe pudori in Græcia, Livius tradidit. Quid? in Græcia? immo nec uſquam gentium qui in ſcenam prodibant olim inter turpes habitos, Macrobius in Cœnis comprobavit. At demus obſcuros eſſe, & Cenſoriâ notâ inuſtos. Illi ſane ignominiæ & dedecoris notâ urendi, qui ultrô in ſcenam ſe ſiſterent, ac Hiſtrionicam artem atque inſtitutum ſectarentur: non verò Reus noſter, qui attractus, & quaſi per vim in ſcenam detruſus à ſpurciſſimæ conditionis homine, helluone, gurgite, menſarum aſſecla, & ſcurra è trivio, paraſito ſcilicet Curculione.

Illa difficilis admodùm eſt, tantopere exagitata quæſtio, cujuſnam ſit ille coloris, quâ facie, quâ corporis habitudine. Quæ ut diluerentur, gallus gallinaceus advocari oporteret, qui . . . quànto magis hunc, qui craſſiſſimo nidore (abſit verbo invidia) prætextatus incedit. Nihilominus, ſi in re adeò perplexa vel

conjecturis uti licet; corporis staturâ macilentum esse & gracilem, vel ex angustissima arctissimaque propriæ domûs janua, quà sibi exitus patet, intelligere possumus. Cujus rei testem accersire profectò possem Catullum festivissimum scurram, ac nasutissimum sannionem, qui acutissimâ illâ quâ pollebat oculorum acie, videre potuit

Subtile & leve peditum Libonis.

O Veronensium beatissimum, qui tantum heroa de facie noscere meruit! Haud nobis, vili popello, & inglorio ita contigit. Quid? nobis? immo nec mortalium ulli post hominum memoriam tantus honos à Diis tributus perhibetur.

Ejus idioma sive linguam P*atres Crepitantes*, omnes audivimus, intellexit nemo. Ubicumque enim terrarum illum audiveris, exotica dialecto, atque ab hominum captu penitus remotà, loquentem admirabere. Sterpsiadem tantummodo Aristophanæum, quocum ille familiarissimè versabatur, ex diuturno frequentissimoque usu atque colloquio, vel prorsus intellexisse, vel assequutum penè judicavero. Ait enim in *Nubibus* (*e*):

(*e*) *Et juscu*l*um, uti tonitru, strepit intus: tum fragor editur ingens:*
Primò sensim pappax: mox inde infert sonitum papappax.
Et quando caco, tum demum papapappax.

Χ' ὥσπερ βροντὴ τὸ ζωμίδιον παταγεῖ. καὶ δεινὰ κέκραγεν.
Ἀτρέμας πρῶτον παππάξ. κᾀπειτ' ἐπάγει παπαππάξ.
Χ'ὤταν χέζω κομιδῇ, βροντᾷ παπαπαππάξ.

Quæ quidem verba non apud fungos aliquos aut bardos Strepſiades protulit, ſed coram ſapientiſſimo illo Socrate. Habemus igitur *Patres Crepitantes*, ſuam Crepitui dialectum & loquendi normam prorſus ineſſe; ut falsò qui invidiam illi apud omnes conflare magnopere ſtudent, tam arguti Rei incomptam garrulitatem, torporemque nobis objiciant. Obblaterent nunc *Patres Crepitantes*, obganniant qui Crepitûs hebitudinem & blæſum obtuſumque linguæ torporem graviſſimis verborum protelis inſectantur. Loquitur ille me hercule; immo triplici ſermonis dialecto utitnr. Nam aliquando *pappax*, qui adultiore ſunt ætate *papappax*, qui virili *papapappax*.

Haud parvum negotium faceſſere arbitror *Patres Crepitantes* ad cauſam Rei noſtri tuendam; & honeſtam, & pudicam ejuſdem educationem, moreſque educationi ipſi animi integritate reſpondentes. Non enim in mediis civilium negotiorum tumultibus & faſtu, ſed in ſeceſſu, & remota ab ambitu aulæque ſtrepitu ſolitudine, verſari conſuevit ac degere

Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Noverat enim haud aliter civile odium, cæte-

raque imminentia diſcrimina tutò declinanda, quàm ſi privatam nactus vitam, ſibi potiùs quàm cæteris vivere ſtuderet: atque ita ſe potiùs (quod potenti inſtar eſt) majorem Reipublicæ utilitatem fore allaturum, ſi vitæ à ſe actæ teſtes procul amoveret, ac civium aures pro viribus declinaret. Hinc enim factum eſt, ut in ſecretioribus ædium receſſibus, in balneis, in privatis cubiculis vitam tranſigat: ac denique, ſub ſtragulis, ut Crepitus adoleſcentis Ariſtophanæi, quem Strepſiades fuiſſe ait,

ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένον (*f*).

Quid ſi mores ſpectemus? nonne charitate in cives maxima ſemper enituit? Miſſa facio ſingulari benignitate in omnes collata beneficia. Quis enim veſtrûm *Patres Crepitantes* tam ingrati animi reus videri poſſit, tam beneficiorum immemor, tam deſes, tamque impudica fronte, qui non maxima ejus in vos, in conjuges, in liberos, in familiam, in Rempublicam, in univerſum denique hominum genus, merita fateatur? Tam latè patent ejus beneficia, ut non gentes modò licèt remotiſſimæ & barbaræ, non hujus ſeſe charitate adſtrictæ fateantur; ſed & ipſæ brutæ animantes naturali amore proſequantur. Sus enim audito, ventris crepitu, ſtatim accurrit, mox ſtercus exceptura.

At quamvis tanto ſolitudinis capiatur amore; nonnunquam tamen, animi laxandi cauſ-

(*f*) *Quinque ſtragulis involutum.*

sâ, lætitiæ & risûs patiens, immò & auctor, in publicum hominum consessum prodire haud erubescit. Ubi inter cachinnos versatur liberè ac discurrit, ipsoque risu apprimè delectatur, ab eoque sæpè evocatus foras erumpit. Quare haud temerè arbitror, Democritum, mortalium omnium γελασιμώτατον, in hac Crepituum facultate plurimum valuisse.

Libertatis amantissimus semper extitit, ut Brutus, ut Cicero: nam si quando servituti, & carceribus mancipatur, nullum non lapidem movet, ut repagulis, vinculis, & compedibus quibus detinetur, spretis; laxatisque postibus, dilabatur.

Si Crepitûs itidem dotes, & literarum ornamenta prosequi velimus; inveniemus profectò in omni scientiarum, ac liberalium disciplinarum genere instructissimum. Ac eloquentiâ quidem plurimum valuisse, vel unico exemplo comprobabimus. Cùm enim Metrocles Hipparchiæ frater, ac Theophrasti discipulus, aliquando meditaretur, inter ea nescio quomodo crepitu ventris emisso, adeò erubuit, ut præ animi moerore domi se incluserit, à vita per inediam discessurus. Quod cùm Crates accepisset, domum ad eum advocatus accessit, cùm lupinis deditâ operâ se priùs ingurgitâsset. Ac monebat illum verbis, nihil ut gravius in se admitteret: quippe portenti simile futurum, nisi secundùm naturam spiritus secernere liceret. Ad extremum verò ipse quoque ventris crepitu emisso, similitudine facti illum conso-

latus, confirmavit. Ex eo tempore ipſum audivit, atque in philoſophia plurimùm profecit. O linguam diſertiſſimam facundiſſimamque! O facinus, dignum me hercule quod immortalis gloria proſequatur! Noverat profectò Crates, ejus verba nullius ponderis futura, niſi potentiſſimam Crepitûs facundiam tantæ rei comitem aſciſceret. Quis ambigat, egregium Philoſophum ſe graviſſimo ſententiarum robore præmuniiſſe, tantum negotium aggreſſurum; incaſſum tamen, niſi orationi languidæ atque enervi ſuppetias Crepitus iviſſet. Perſuaſit nempe unico verbo, quod Crates vaſtiſſimo ſententiarum ambitu minimè potuiſſet.

Muſices itidem peritiſſimum fuiſſe, nemo inficiabitur qui Auguſtini Hipponenſis Antiſtitis libros *de Civitate* legerit. ubi ait, *Nonnullos ab imo ſine pædore ullo ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edere, ut ex illa etiam parte cantare videantur.* Talis fuit Germanus quidam in comitatu Maximiliani Cæſaris & Philippi ejus filii, cùm in Hiſpaniam adveniſſent: nec ullum erat carmen, quod non ille Crepitibus podicis redderet. De Turture ab Ariſtotele memoriæ proditum eſt, dum canit, ventris crepitus frequentiſſimè ejectare. Namque illis ἴδιον συμβαίνει τὸ ἀποψοφεῖν. Atque inde originem traxiſſe proverbiolum illud arbitror: *Turtur cantat.* in eos nempe qui imâ parte ſonabunt. Appoſitiſſimè etiam dici-

tur à Nicarcho πορδὴ τραυλὸν ἱεῖσα μέλος (g).

Omnia hæc *Patres Crepitantes* nullius eſſent prorſus momenti ad magnum heroa conſtituendum, ſi virtute illa quæ mores gubernat, humanarum actionum moderatrice, deſtitueretur. At Reus noſter ita undecumque egregiis animi dotibus, virtutiſque ornamentis ſemper excelluit, ut portenti ſimilis videatur. Primò quidem grati animi exemplar mihi proponitur. Eum quippè qui ipſum libere vagari permittit, nec minimum offendiſſe unquam reperitur; adeò eſt juſtitiæ amans, ac memoriæ beneficiorum tenax: immò a moleſto tormine, atque inteſtino tumultu, quod ad exitium conjurabat, quaſi Apollo alter ἀλεξίκακος, incolumen defendit.

Quis neſcit Religionem, Virtutum cæterarum ſtirpem atque parentem, in Crepitu noſtro imprimis commendandum? Telemachus Acharnenſis quò eum in promptu haberet, gratiſſimo alimento confovebat; fabæ nempe ollâ diuturnâ, quâ vitæ curriculum tranſigebat; haud alia ſcilicet de cauſa, niſi ut anniverſariam τῶν πυανεψιῶν ſolennitatem cum Ventris Crepitu celebraret. O religioſum facinus! O Pium! Sed quid Telemachum dico? Athenæ ipſæ Atticæ nulla in Apollinis honorem thymiamata, aroma nullum tanto numini vel gratius, vel acceptius excogitare potuerunt, quàm

(g) *Crepitus balbum melos emittens.*

ſuaviſſimum Crepitûs odorem. Quare ſeveriſſima religionis lege cautum fuit, ne alio alimenti genere quàm leguminibus victitarent.

Unde & Crepitûs frugalitas conſpicienda ſe offert: cùm vilibus atque abjectiſſimis quibuſquàm contentus, alliis, lupinis, rapis, cepe, faſeolis, aliiſque id genus præcipuè gaudeat ac nutriatur; luxu autem & opulentiâ vel pereat vel langueat, roburque amittat: unde fit ut lautitias penitùs aſpernetur.

At quò Reus noſter æqui rectique tenacior eſt, ac jus ſuum unicuique tribuendi; eò injuriarum vindex & acrior & ſeverior. Eos ſiquidem qui comprimere, frænare, & exire conantem fruſtrare ſolent ac decipere, tanto proſequitur odio, tam vindictæ & cædis avidus laceſſit & torquet, ut ad internecionem uſque deſæviat. Cujus rei quia nec pauca nec obſcura exſtant exempla *Patres Crepitantes*, ſatiùs me moleſtiæ & faſtidio veſtro facturum exiſtimavi, ſi ea ſilentio prætermitterem. Quòd ſi mitiùs agat, leniori quodam pœnarum genere de injuriâ ſibi illata vindictam ſumit. Nam cùm aliqui diù ipſum compreſſerint, atque exire reluctantem foribus clauſis detinuerint, ipſique pugilicè invadenti feliciter obſtiterint: dum tamen Crepitûs vim erumpere geſtientis, atque huc illuc diſcurrentis incurſus evadere conantes, tantillum fores laxant; vel ab eo commiſſi clam facinoris produntur, vel attracto ſecum involucro conſpurcantur & demerdantur, vel utrumque ſimul. Auctoritatem

itidem dignitatemque adeò affectat & sustinet, ut si alicui vel irrisioni vel contemptui fuisse animadvertat; in furorem quasi versus, mirum in modum excandescat, dum irrisorem ipsum pœnâ talionis afficiat. Exemplum vobis præbet P*atres Crepitantes* mirabile illud facinus quod à Frederico Dedekindo ita describitur (*h*):

Missus ad externas orator maximus oras
Nuper erat, lingua consiliisque valens.
Virgineo in coetu, dominæque ante ora potentis
Debuit eloquii tela ciere sui.
Utque in conspectu dominæ data copia fandi,
Sollicitus graviter lumina figit humi.
Jamque soluturus facunda viriliter ora,
Ut solitum fieri, flectit utrumque genu.
Sed quia se nimium miser incurvabat in auras,
Edidit ingratum ventre crepante sonum.
Nil tamen hoc facto perterritus, absque rubore
Prosequitur caussæ coepta severa suæ.
Dissimulant omnes crepitum audivisse, sed una
Non bene quæ risum Virgo tenebat, erat.
Dumque sibi indulget nimium ridere loquentem,
Ah! malè virgineas claudit inepta nates.
Et tenuem ventris crepitum subtiliter edit:
Audieris, lyricum dixeris esse sonum.
Tum memor admissi Rhetor sua cœpta relinquens,
Virgineum alloquitur verba per ista chorum.
Pergite sic ventos ex ordine, pergite Nymphæ

(*h*) *Lib.* 3. *c.* 7. *de Simplicitate morum.*

Mittere, quos longùm continuiſſe nocet.
Inde ubi me rurſum quoque mittere juſſerit ordo,
Officii peragam munia cuncta mei.
Illicò virgineas perfuſa rubedine malas
Dejicit ab oculis moeſta puella ſuis.
At reliquæ ingenti riſu quatiuntur, & illo
Solvitur actutum concio facta modo.

Videtis *Patres Crepitantes*, Virginem illam tam procaciter inſultantem atque irridentem, ab eo digniſſimo ſupplicio multatam.

Fortitudinem ejus, virtutem, atque animi præſtantiam quis non in privatis rebus expertus eſt? Statim enim ac ſodalem metu trepidantem advertit, quaſi ignaviæ illum pudeat, nihil non molitur, ut inertem, vecordem, ac remiſſum ſodalem e veſtigio relinquat, ne & ipſe puſilli atque abjecti animi vitio laborare, pariter videatur. Quod anicula illa Ariſtophanica experta eſt in *Pluto.*

ὑπὸ τοῦ δέους βδέουσα δριμύτερον γαλῆς (*i*).

Et ille apud Lucianum (*k*) qui ὑπέβδυλλε ὑπὸ τοῦ δέους (*l*). Aratum Sicyonium cùm inſtante prælio timore percuſſum ac titubantem vidiſſet, deſerere maluit, quàm propriæ exiſtimationis jacturam pati, teſtante Plutarcho in ejus Vita. Sed hæc minoris ſunt momenti *Patres Crepitantes*, cùm & ipſum numen Priapum quòd perterritum ob veneficarum qua-

(*i*) *Ex metu pedens quavis fele acerbius.*
(*k*) *In Lexiphane.*
(*l*) *Ex metu viſibat.*

tundam aſpectum vidiſſet, è ſocietate ſua ac contubernio dejecerit; teſtante Horatio:

Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepedit.

Ejus præterea in Republica utilitatem agnovit profectò Claudius Imperator, ac civium incolumitatem detrimentum paſſuram, niſi Crepitum Ventris dudum relegatum civitate iterum Romana donaret, & veluti poſtliminio reſtitueret. Nec reſtitueret modò, ſed publico convivio, atque epulis optatum exciperet: quod diù meditatus fuerat, edicto de ea re concepto, *quo veniam daret flatum Crepitumque Ventris in convivio emittenti.* Qui quidem honor, exſulem per edictum adſciſcendi, ante illum tributus eſt nemini. Sed cùm conſultiſſimo Romanorum Imperatori, conceptam pro tanto facinore animo gloriam, extrema dies arripuiſſet; à conſortio & ſocietate hominum ejectus, itidem exſulare coactus eſt, cum maximo humanæ ſalutis diſpendio: qui quidem P*atres Crepitantes* ſi in viſcera, (ut ita dicam) ac Reipublicæ familiaritatem fuiſſet revocatus, nunquam in tot miſerias incidiſſemus. Impulerant nempe rei ac ſalutis publicæ parentem & conſervatorem Claudium tot civium clamores ac pericula, quibus conſultum iri, munus præcipuum exiſtimavit. Tam arctè denique ejus neceſſitudine uſus eſt; tam optimè in illum fuit affectus, ut priùs vocem amiſerit, quàm ab ejus conſuetudine, & familiaritate deſciverit, nam teſtante Seneca in Ἀποκολοκυντώσει, *ultima vox ejus inter homines audita eſt, cùm*

majorem ſonitum emiſiſſet illa parte qua faciliùs loquebatur, *& omnia concacavit.* Nonne ipſe eſt aura illa vitalis, qua reſpiramus? aura ſiquidem quam Cephalus venator ſub arbore recubans, tantopere deperibat. Non enim Zephyrum illum flores blandientem, ac caloris æſtus mulcentem Cephalus invocabat; ſed aërem exercitio atque agitatione ventre conceptum foras avocare, quà precibus, quà blanditiis vehementiſſimè ſtudebat; cujus Zelotypiâ Procris medullitùs torquebatur. Quid? reluctamini P*atres Crepitantes?* Ambigitiſne de Crepitûs utilitate? Periculum facite. Retundite ejus impetum, exitum reſerate, præcludite viam. Experiemini, me hercule, vel eo maximè propitio ac ſoſpite hominem indigere. Non de illo tantùm intelligo ſtrepero ac vocali, ſed de illo etiam qui tacitò ac ſenſim ſubterlabitur. Quis veſtrûm P*atres Crepitantes* vel unius diei curriculum traducere ſoſpes potuiſſet? Illi conjugum incolumitas, liberorum ſalus, familiæ denique indemnitas ac valetudo penitùs referenda. Multa demum ſunt P*atres Crepitantes* quæ niſi grati animi indiciis accepta referamus, turpiſſimum animi vitium contraxiſſe meritò videamur. Quid referam tot tantaque commoda quæ ab ipſo in vitæ privatæ uſus derivari cernuntur?

Vulgatum eſt ex Strepſiade Ariſtophanæo, feſtiviſſimo ſcurra, in *Nubibus* effatum illud:

Σάλπιγξ ὁ πρωκτός ἐστιν (*m*).

(*m*) *Tuba podex eſt.*

Rogo, *Patres Crepitantes* nonne frustra esset, ac nullius usus tuba illa, absque deterrimo suavissimoque tibicine Crepitu? Nisi Crepitus inflâsset, quorsum tuba? Quendam audisse vidisseque memini gibbum, qui quoties libuerat, adeò in numerato habebat crepitus, ut non solùm innumeros eorum, vi nullâ adhibitâ, ejectaret; sed eos canentium more inflecteret, acueret, deprimeretque; ita ut veluti classico quodam, aut tubâ, lituove, nunc signum pugnæ daret, nunc receptui caneret, quasi agmen vel ad certamen impelleret, vel ab hostium congressu revocaret.

Quid homini utilius *Patres Crepitantes* quàm victus, atque ejus quærendi institutum & ratio? Hoc itidem beneficio Reo nostro quamplurimi sese devinctos fatentur. Cujus rei specimen ut præbeam, exemplum quoddam *Patres Crepitantes*, sub hujus ordinis aspectum proponam. Fuit Antverpiæ Tabellio quidam Amsterodamensis, qui hebdomatim ultrò citroque commeabat. Hunc ita expeditum in emittendis bombis istis crepitantibus memorant qui aliquando in illius contubernio fuerunt, ut ad quemvis nutum etiam sonum illum absque ulla verecundia ederet. Accidit autem ut de vase cerevisiæ præstantioris persolvendo, pacisceretur cum quodam hac lege, ut qui in ascensu turris Marianæ, quæ ibi altissima, plures emitteret crepitus, præmium acciperet. Eunt ascitis arbitris, & ecce Tabellio in quolibet gradu, qui sexcenti & viginti tres numerantur, cre-

pitum expeditè edebat. Idem in deſcenſu facturus, ſi de altero vaſe decertatum fuiſſet. En, Rei noſtri auxilio neceſſitati ac ſiti ſubventum eſt, quo forſitan ſi deſtitutus fuiſſet Tabellio, ſiti & æſtu, rei pecuniariæ defectu laboraſſet. Novi quendam mendicum, ferreæ frontis hominem, qui haud aliter ac ſi muſicos proferret modulos, iis Muſarum deliciis invitabat, atque ita nimium curioſis pecuniam emungebat. Sunt etiam qui Crepitu noſtro pro flabello uſi memorantur. Vir quidam nobilis cùm miniſtri abeſſent, inter prandendum juſſit quendam ſuum conturbernalem ſibi ventum facere. At ille: Neſcio id veſtro more. Ergo tuo modo facito, inquit. Igitur ille, elato dextro crure, ventris crepitum edidit. Eo pacto ſe ventum facere ſolere, dicens.

Quodnam *Patres Crepitantes*, adversùs maleficia, carmina, philtra, amuletum eo præſentius atque efficacius? Nihil magas, ſtrigas, ſagaſque, ac veneficas ita & fugat & terret, quàm illius vel ſtrepitus vel ſonus. Teſtes advoco Canidiam & Saganam apud Horatium, quæ cùm in horto coram Priapo Manes cierent, ac veneficia & incantamenta perficerent, cùm Priapus ipſe metu concitus, quaſi veſicâ diſplosâ pepediſſet; illæ re infectâ

currere in urbem.
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbis, atque incantata lacertis.
Vincula; cum magno riſuque jocoque videres.

Experientiâ ac longo ſæculorum uſu compertum eſt *Patres Crepitantes*, eos maximè qui Crepitus contubernio arctaque neceſſitudine uſi ſunt, quique apprimè cum eo verſati perhibentur, longiſſimum vitæ curriculum exegiſſe. Nam Zeno quidem ille Cyprius Stoicæ ſectæ conditor, quique illud decrevit; *Crepitus ſcilicet Ventris, haud aliter quàm ructus, liberos eſſe oportere*, ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum ſine morbo attigit, diù victurus, niſi, quòd corpus lapſu attriviſſet, ſe ipſum ſtrangulâſſet. Crates Cynicus, qui Metroclen item Philoſophum Crepitibus Ventris ſolabatur, ſenio confectus deceſſit. Et quidem Metrocles ipſe Hipparchiæ frater, qui inter meditandum averſa illa parte plurimum garriebat, ut tradit Laërtius, mortuus eſt cùm ſe ipſum ob ſenectutem ſuffocâſſet.

Jam dudum *Patres Crepitantes* actum eſſet de bajulis, aliiſque qui onera ultrò citròque deportant, niſi Crepitûs auxilio reficerentur, atque ad onus ſuſtinendum denuò ſe erigerent. Xanthias ille Ariſtophanis in *Ranis* oneri profectò ſuccubuiſſet, niſi vocatus ab eo Crepitus, ſuppetias iviſſet, quum dixit:

Μηδ' ὅτι τοσοῦτον ἄχθος ἐπ' ἐμαυτῷ φέρων,
Εἰ μὴ καθαιρήσει τὶς ἀποπαρδήσομαι (*n*).

(*n*) *Neque quòd tantum onus feram,*
Ut niſi me aliquis jam ſublevet, crepitum emittam.

Petronianus Corax mercenarius, cùm oneri ferundo se imparem agnosceret, advocato Crepitu, ut lassitudini vires suppeditaret, *tollebat subinde altiùs pedem & strepitu obscœno simul atque odore viam implebat.* Nec primus sum Patres *Crepitantes* qui de illius utilitate disseruerim, cùm & id ante me viri famosi præstiterint. Ut fecit olim Symmachus apud Martialem :

Pedere te mallem : namque hoc nec inutile dicit.
Symmachus, & risum res movet ista simul.

Illud denique subjungam, quod olim Nicarchus protulit : πορδὴ καὶ σώζει (o). Ut non immeritò, P*atres Cripitantes*, quod Græci dicere solebant, cùm quis sternutabat : ζεῦ σῶσον ; dicere nos potiori jure debeamus cùm quis ventris torminibus, atque intestinorum volvolo laborârit, πορδὴ σῶσον (*p*), Portenti igitur simile est P*atres Crepitantes* nonnullorum odium ac livor, ab eoque animi aversio ; qui cum ab illo non nisi beneficiis affecti sint, quibus devinci magnopere debuissent, nescio quò sinistro Crepitûs fato, non ipsum tantùm, sed ejus nomen (pro Dii immortales)! diris devovent, atque aspernantur, & plusquam Vatiniano odio persequuntur : vel, si ejus nomen proferunt, non nisi honore præfato id faciunt. In qua urbe vivimus ? P*atres Crepitantes* ubinam gentium sumus ? Flagi-

(o) *Crepitus servat.*
(*p*) *Crepitus serva :*

tium in re esse dicunt, flagitium itidem in nomine, ac turpitudinem. Turpiores ipsi, medius fidius, & humanæ incolumitatis, libertatisque publicæ hostes. Tullius, Romanæ eloquentiæ parens, ac facilè princeps, libertatem loquendi verecundiam appellavit: atque eam & sibi & Zenoni placuisse asseverat. Stoïcorum institutum fuit, suo quamque rem nomine appellare: unde illud illud ejusdem Scholæ effatum: ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔστη. Asserebant enim (nec injuria) nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. Insaniunt igitur, atque ineptiunt isti Crepitomastyges, qui tectis verbis quàm apertis eloqui malunt. Stipites istos & blennos, quàm Stoïcos sequi malimus? ne Disirint. Quid etiam de iis dicam, qui cùm Ventris Crepitum æquo animo ferant; Visium tamen, germanum ejus fratrem, immò & uterinum, convitiorum plaustris onerant, diris devovent, ac maledictorum jaculis confodiunt? eâ scilicet de causa, quòd nares potiùs quàm aures percutiat, atque invadat; & tacitus, sicariorum more, proserpat; quin adsit contrà illum se muniendi facultas. Βδόλον Græci illum vocant, seu Βδέολον, ut à sonoro illo & crepitante discernant, cui πορδὴν nomen indidère. Qui hæc in Visio accusant *Patres Crepitantes*, haud aliter se gerunt, quàm qui modestiam, silentium, taciturnitatem criminantur: quam veteres Philosophi adeò coluerunt atque amplexi sunt. O mores! ò tempora! in quibus vel ipsa virtus vitio vertitur. Dignissimum

laude facinus, atque reverentiam, urbanitatemque laceſſunt. Quid enim immodeſtius, impudentius, ingenuo Crepitu eſſet indignius, quàm colloquia & ſermonem inter æſtantes collatum atque fluentem repentino aliquo ſtrepitu irreverenter obſidere, ſcurriliter invadere, atque interrumpere? Huncce (prò facinus)! inurbanum appellatis ac ruſticum? immo lepidum atque facetum! Quid tandem ſi illorummet ſententiâ atque ſuffragio Rei noſtri calumniam vindicavero? Nonne ipſi ejus mores, naturam, vitam, velut impudicam, inhoneſtam, ſordidam atque inviſam diris omnibus inſectantur? Prudentiſſimè igitur eorum opinioni obſecundare Viſium mihi videtur, ſi verum eſt illud Biantis effatum: *Apprimè decorum illis eſſe ſilentium, quibus indecora impuraque eſſet vita.* Dicebat quidem Pythagoras: *Aut ſile, aut effer meliora ſilentio.* Quid ergo loquatur ille ſilentio commendatius? Quod ſi graveolentiam, ac moleſtum, tetrumque illum flatum nobis objiciant; dicam, è Parthorum eſſe genere, quibus oris graveolentia peculiaris. Vel reſpondere ſane ipſe poſſet quod Eurypides olim Decamnicho objicienti ſibi oris graveolentiam ὅτι πολλὰ ἐν αὐτῷ ἀπόῤῥητα ἐγκατεσάπη.

Audaciæ ac temeritatis notam incurram profectò P*atres Crepitantes*, ſi omnes tanti herois laudes proſequi tentavero. Ea quippè fuit apud veteres de eo exiſtimatio, ut nullum ad amicitiam adumbrandam commodius aptiuſque Sym-

bolum vel repererint, vel excogitârint. Unde Martialis:

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere Crispe soles.

Haud ineptè divitiarum quoque Symbolum veteres constituerunt. Unde apud Græcos βδέειν & πέρδειν pro opulentiam ostentare vel simulare accipiuntur. Quod confirmatur etiam paroemiâ illâ: νεκρὸς κεῖται βδέων. Intellexit optimè Chremylas in *Pluto*, dum de Argyrio Atheniensi viro prædivite ob eximias opes podicis solutissimi, dixit:

Ἀργύριος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται (q);

Cùm Nicarchus vetus Epigrammatistes elogium aliquod Crepitu dignum posteritati mandare instituisset, nihil ejus dignitate, magnificentiâ, auctoritate dignius invenire potuit, quàm ut Regi, Regiæque majestati comparasset. Sic enim cecinit:

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα.
Πορδὴ καὶ σώζει, τραυλὸν ἰεῖσα μέλος.
Οὐκοῦν εἰ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδή,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν (r).

Et Cario ille Aristophanæus, cùm Deum suum salutare vellet, dignius numine existimavit quàm verbis, Crepitu salutare. Ait enim ille:

(q) *Nonne Argyrius harum caussa* (nempe, divitiarum) *crepitus emittit?*

(r) *Et Crepitus multos nequiens erumpere perdit,*
Et servat, balbum quando dat ore sonum.
Ergo si jugulat Crepitus, servatque sonando,
Regibus hunc magnis quis neget esse parem?

— προσιόντος γὰρ αὐτοῦ μέγα πάνυ
Ἀπέπαρδον (s).

Non judicarunt mortales se Ventris Crepitum meritis honoribus prosequutos, nisi ad summum dignitatis fâstigium eveherent. Quare Ægyptii omnium sapientissimi ac religiosissimi, in Deorum album retulerunt; ipsique aras, templa, sacrificia, ac pulvinaria statuerunt. Quorum si quis vel intestinos dolores declinâsset, vel flatu illo qui in salutem conjurabat, opportunè emisso, imminentem jacturam evasisset, voto in grati animi signum emisso, tabellam in vernaculi Numinis sacello, hisce verbis exaratam appendebat:

CREPITUI. VENTRIS. CONSERVATORI.

DEO. PROPITIO.

QUOD. AUXILIO. EJUS. PERICULO. LIBERATUS.

N. N. M. F. BENEFICII. MEMOR.

VOTUM. SOLVIT. ET. DE. SUO. P.

Quid referem *Patres Crepitantes* viros illustres, ac posteritatis memoriâ insignes, qui ab eo, quasi à nobilissima stirpe, nomen traxerunt? Inter quos antiquissima nobilissimaque Pedonum familia, ex qua fuit Pedo Albinovanus, item Pedanius Costa, Pedanius Secundus, Asconius Pedianus, Pedius Consularis,

(s) —— *Nam propiùs cùm accessisset* [Deus]. *Mirum in modum pepedi.*

Pedius Blæſus, Pedius cognomento *Quintus.* L. Peduceus, Sex. Peduceus*, M. Juventius Pedo. M. Creperejus. Et alii tum populi tum civitates quæ ab eo nomina mutuati ſunt. Herbæ item ac frutices, ut γαλεόϐδολον, quoniam folia ejus manu trita γαλέης ϐδόλον odore ſuo referunt. Atque ὀνόπερδον herba quam ſi comederint aſini, crepitus reddere dicuntur. Item proverbia ab eo deducta, ut illud: *Non pedo Thus: Suus cuique Crepitus benè olet: Tuſſis in Crepitu: Mortuus pedens: Surdo oppedere:* & alia ſi quæ ſunt, quæ à Crepitu noſtro exordium, atque originem acceperunt.

Quamvis hæc omnia magna ſint, Crepitumque noſtrum ſatis poſteritati commendatum relinquant: nihilominus vel mutila fortuna vel manca alicui forſan videretur, niſi privatæ felicitatis æmulos, atque hoſtes ſortita quodammodo fuiſſet. Ea ſiquidem eſt P*atres* C*repitantes*, rerum humanarum conditio, ut egregia merita, res eximiè geſtæ, ac gloria denique, odio ac livore vacua difficilè comparentur. Quapropter, neſcio quo fato, *Patres Crepitantes* cùm Reum noſtrum ſummâ devotione ac reverentiâ proſequi debuiſſent, eâ ſunt animi nequitiâ ac pravitate affecti, ut hoſtili potiùs ac infeſto animo omni pudore depoſito petulantiſſimè perſequantur. Illam præcipuè calumniam Reo noſtro infligunt, quòd aſtantium nares invadat, & quamvis compreſſus, hoſpite (ut dicitur) inſalutato,

ſubſugiat ac dilabatur , cum maximo cuſtodis rubore. Unde erroris etiam & vagabundi notam impingunt, quod ſervitutis impatiens, & profuga , clam ſæpè dilabatur quin dominus perſentiſcat. Quæ quidem criminatio quàm inepta ſit ac futilis, nemo non videt, qui conſilii rectique judicii ſit compos. Quis enim ille, aut ubinam gentium, qui cùm in cuſtodiam rejectus , vinculis compedibuſque detineatur, libertatem ſibi tantopere adamatam, ſi oblatam viderit, vel reſpuat, vel abjiciat? Nemini etiam de proprii Crepitûs graveolentia conqueri licet, ſi verum eſt quod circum fertur, *Suus cuique Crepitus bene olet.* Illud ſanè immaniſſimum eſt, quod inſontem, deque nullo crimine appellatum, veluti ſceleſtiſſimum ac capitis reum, in cuſtodia ipſa confodiunt, ſtrangulantque. Ecquodnam tantum facinus, tam immane flagitium admiſit, ut eum in aëra proſilire minimè permittant,

atque aura liberiore frui.

Nec prohibeant modò, ſed in ipſo carcere jugulent. Plura dicenda mihi forent P*atres* C*repitantes* niſi jam oratio longiùs quàm par eſſet, protracta receptui canere videretur, ne cùm vos & judices & patronos appello, tædio ac moleſtiâ affectos, ſingulari benignitate deſtitutos inveniam. Defendite P*atres* C*repitantes* Reùm inanibus calumniis, obtuſiſque jaculis impetitum. Reipublicæ delicias, populi ſalutem, firmiſſimum humanæ vitæ

præſidium, præſertim difficilimis hiſce temporibus Quadrageſſimalibus, in queis tot tantaque mala nobis inſidiantur, niſi accerrimus ipſe humanæ ſalutis vindex eriperet; libertati civium reſtituite. Quid exteræ dicent nationes, quid barbaræ, quid denique vel ruſtici ipſi, muliones, bubulci, quibus ea Crepitûs reverentia? Pudeat vos *Patres Crepitantes* tot injurias, tot vulnera, inulta poſteris tranſmiſiſſe. At ſi ſcrupulis iſtis ac ſuperſtitioſis noſtri ævi Crepito-maſtygis, Reum noſtrum exſilio perpetuùm detinere, immotum infixumque animo hæſerit; exſulare jubeant Nubes: eas pariter ab orbe exſibilent, quas itidem Strepſiades Ariſtophanæus pedere annuit. Inſontis, atque de vobis omnibus optimè meriti cauſam tuemini. Vos hactenus ejus dignitatem ſuſtinuiſtis: clientem amplectimini, quem niſi vindicare pergitis *Patres Crepitantes* tanti Ordinis dignitati peſſimè conſuletur. Publicâ ſententiâ atque ſuffragio revocate. Si domeſtica exempla tædio habetis; extera, & quidem Græcorum ſapientiſſimorum, ante oculos ponite; Cratetem profero, Zenonem appello, acerrimum utrumque, graviſſimumque Crepitûs vindicem, aſſertoremque. Qui ambo lege lata decreverunt, Crepitum Ventris libertate donandum: Crates quidem in Cynicorum Republica; Zeno verò in Stoïca; quæ ſolâ tunicâ differebant. Quod niſi honeſtum æquumque fuiſſet, tamque egregiorum Philoſophorum, humanæque vitæ moderatorum di-

gniſſimum judicâſſent, neutiquam ſanè feciſſent. Habetis veterum veſtigia qua premàtis Patres *Crepitantes* Contubernales veſtros eo rubore liberate. Reum noſtrum maximo devincietis beneficio. Reipublicæ ſalutem firmioribus fulcietis præſidiis, Hominum conſuetudo arctiſſimis vinculis ſtabilietur. Virginum verecundia frequentiſſimis periculis liberabitur. Conjugum, liberorum, familiæ, incolumitas tutiſſimis aggeribus munietur, veſtrumque omnium dignitati, famæ, auctoritati, magnopere conſuletur.

DIXI.

